

THE  
WILLIAM R. PERKINS  
LIBRARY  
OF  
DUKE UNIVERSITY



Rare Books





Q. D. B. V.  
DISSERTATIO THEOLOGICA

De  
MIRACULIS,

QUAM  
SUB SS. TRIADOS AUSPICIIS

&  
PRÆSIDIO

VIRI

*Plurimum Reverendi, Amplissimi atq;  
Excellentissimi*

Dn. BALTASARIS BEBELII,

SS. Theol. D. P. P. longe Celeberrimi, Fac. Theol.

h. t. DECANI Spectabilis, Summi Templi Ecclesiastæ Facun-  
dissimi, & Collegij Wilhelmitani Inspectoris Gravissimi,


Dn. Patroni, Præceptoris atque Promotoris sui æterna  
observantia venerandi.

*Publico Eruditorum Examine submittit*

M. JOHANNES FRIDERICUS LEONHARD,

Argent. A. & R.

*Addiem 39. Decembris h. lq. s.*



ARGENTORATI,

---

Literis JOH. WILHELMI TIDEMANNI, Anno clb lbc LXXIII.

MEMORANDUM

TO THE DIRECTOR

FROM THE ASSISTANT ATTORNEY GENERAL

DATE

RE: [Illegible]

[Illegible]


[Illegible]

[Illegible]



THE DIRECTOR

[Illegible]



## I. N. D. N. I. C.



Everum, at non minus verum, à Christo Regio, suppetias medicinamq; Filio suo quærenti, datum est responsum Joh. 4. v. 48. *ταρ μὴ, ομηεία καὶ τέρατα ἴδωτε, εἰ μὴ πισεύσῃτε: nisi signa & prodigia videritis, non creditis.*

Adeo infirma, imo fere nulla, fide erat excœcata Abramidum Gens, ut nulli Doctore seu Prophetæ fidem habendam crediderint, nisi signis atque prodigiis doctrinam suam confirmaverit; imò nec unum alterumve ipsis sufficiebat miraculum, sed in quovis casu novum requirebant. Regio quidem in recenti a dhuc memoria erat divina virtute speciosum editum miraculum Canæ Galilææ, de aqua in vinum conversa, sed aliam putabat esse rationem resuscitandorum mortuorum, quam convertendarum in vinum aquarum; hoc quidem divina virtute, illud autem non firmiter credebat posse fieri. Vah! degenerem, quondam DEI, nunc Deo inimicum, populum, ab Ethnicis in ruborem datum, qui, si Virrutes apud eos factæ fuissent, quæ apud Judæos, in sacco & cinere pœnitentiam egissent. Mat. II. v. 20. imò qui absque miraculis verbo DEI & Prophetis crediderunt. Exemplo sint Ninivitarum credentes Jonæ sine miraculis prædicanti; ideo etiam in novissimo die surgent cum

A

incre-

incredula Judæorum Generatione, & condemnabunt eam, quod resipuerint ad prædicationem Jonæ nudi hominis, hi vero non ad prædicationem istius, qui major est Jona Mat. 12. v. 41. Quod autem Christus Regio responso dedit, id ipsum in incredula Pontificis Rom. agmina exactissime quadrare, quis non videt? dum miracula pro certissima Ecclesiæ nota venditare conantur, ita ut Ecclesia sine miraculis pro vera Ecclesia habenda non sit: ita enim Bellarm. de veris Ecclesiæ notis lib. 4. de Ecclef. *Vera, inquit, prædicationis Evangelij, legitima administratio Sacramentorum, & legitima disciplina, non sunt ullo modo sufficientes nota Ecclesiæ: & paulo post enumerat quindecim Ecclesiæ notas, inter quas undecimo loco ponit Gloriam Miraculorum.* Huic rectissime cum Christo respondetur: nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Sed de his infra pluribus acturi huc usque præfari volumus sequenti de Miraculis tractationi, quæ, cum non ultima de iis inter Nos & Pontificios intercedat controversia, Exercitium disputatorium publicum conscripturi, materiæ loco elegimus. Dignissima quidem est materia, quæ doctissime ut elaboraretur, meretur; sed, cum ex nostra parte desint vires, ut laudetur saltem bona voluntas B. Lectorem rogatum volumus, atque iterum rogamus. Quo facto pro virium modulo dictam *de Miraculis* materiam aggredimur, atque Thema nostrum elaborandum constituimus. Pater omnis Boni, Angelus Consilij, Spiritus Sapientiæ nostras corroboret vires, ut propositum cedat in Nominis Divini Gloriam, Ecclesiæque incrementum! Amen.



S. I.

**C**Um *Miraculis* igitur Nobis, hodie Miracula non expectantibus, res est. Quæ ut feliciori ordine tractentur ab ipso ordimur vocabulo. Miraculum quod alias *τίμας* vel *σημείον*, interdum *εργον*, vel etiam *δραμης* audit, dicitur à mirari, quia Spectatores vel Auditores insolita novitate per admirationem rapit, ut cum Principes Sacerdotum & Scribæ cæcos ac claudos à Christo in templo sanatos vidissent, *τὸ θαυμάσια* miranda vidisse dicuntur Mat. 21. v. 15. Non uno autem modo miraculi vox usurpatur: Dantur enim Miracula Naturæ & Artis. Totus Terrarum Orbis scetet Miraculis; quicquid enim in eo cernis, Miraculum est, Miracula solius DEI facientis, imò quid est ipsa Mundi mappa? nonne miraculum miraculorum? Sed de his non est quæstio; Neque enim definitionem, quam mox dabimus, sustinent, uti patebit. Jactantur quoque septem Miracula Mundi, quæ sunt 1. urbs Babylon, præcipue autem in ea horti pensiles & muri 2. Cyri Regia 3. Mausoli sepulchrum 4. Jovis Olympij simulacrum. 5. Pyramides Ægyptiacæ. 6. Solis Colossus 7. Dianæ Ephesiæ Templum. Verum enim vero cum hæc manu facta Miracula non sint contra neque supra naturam, mittimus ea; de his enim jam nobis sermo est, quæ sequentem sequenti §. dandam sustinent definitionem:

§. 2. Vario autem modo à variis Autoribus Miraculum definiri solet. Nos brevitatis studiosi multas definitiones cumulare haud necessarium esse duximus. Augustinus quidem lib. de util. credend. cap. 16. Miraculum vocat *quicquid arduum aut insolitum supra spem vel facultatem mirantis apparet*. Sed valde generalis & in latissimo sensu accepti miraculi hæc est definitio, ita ut pro Miraculis haberentur etiam apparenter talia, licet proprie non essent. Magis igitur arridet definitio B. Dn. D. Danhavv. de Nostra Univers. quondam præclarissime meriti Meletem. de Mirac. pag. 59. *Miraculum est Actus verus, ac solidus, arduus, supernaturalis, rarus, temere haud provocabilis, paradoxus, evidens inter infideles, à DEO vel immediate vel mediate profectus,*

*Deus, ad effringendam hominum infidelitatem & fidei vera assertionem ordinatus.*

§. 3. Hujus definitionis ductum sequemur, & causas Miraculi, ejusque Affectiones, indagabimus. Ubi in fronte consideranda venit *Causa Efficiens*, ea que vel Principalis seu Immediata, vel Ministerialis seu Mediata. Illa est solus DEUS Triunus Rex Universi, & Agens liberrimum, qui condidit Naturam, & conditam invertere potest, quando voluerit, qui & quotidie mundum opplet Miraculis, qui facit mirabilia solus Ps. 72. v. 18. Ps. 136. v. 4. & quidquid sibi placet in Cœlis, ac in terra, per maria & omnes abyssos Psalm 135. v. 6. præter quem nullus est mirificus, Exod. 15. v. 11. uti in fronte mox videtur obstare, quod Marc. 6. vers. 5. dicitur: Christum non potuisse Miracula facere in Patria sua. Aut igitur Christus non est verus DEUS, quod impium; aut DEUS non semper & ubique potest facere mira. Sed hic nodus facile resolvitur, distinguendo inter impotentiam absolutam & ordinatam; DEUS enim ordinavit, ut quotquot ipsius Gratia & beneficiis, quæ tum per Miracula ut plurimum conferebantur, frui velint, fide illa suscipiant, qua conterreanei Christi carebant. ita enim Matt. c. 13. v. ult. hanc historiam recenset: *καὶ ἐκ ἰσχυρῶν ἐκείνῃ δυνάμει πολλάς, διὰ τῆς ἀπιστίας αὐτῶν* propter incredulitatem eorum. Quando igitur Marcus τὸ non potuit usurpare maluerat, quam τὸ noluit, videtur exaggerandæ infidelitatis enormiter magnæ gratia illud fecisse.

§. 4. Facit autem mirabilia DEUS vel *immediate* absque intercedentibus causis secundis; ut cum Uxorem Lothi subito in statuam salis convertit, Gen. 19. v. 26. Solem stare ac retrogredi jussit, Jos. 10. v. 12. 2. Reg. 20. v. 11. Vel *mediate*, quando ex Divina Providentiæ beneplacito ministerio causarum secundarum tanquam instrumento utitur; idque vel mediantibus *Angelis*, qui sunt DEI Ministri, cui noctes diesque inserviunt, & Spiritus ministerij munere fungentes, qui ministerij causa emittuntur propter hæredes salutis futuros Hebræor. 1. v. ult. Horum ministerio usus est, cum spatio trium dierum septuaginta millia virorum cecidissent propter delictum

Etum Davidis 2. Sam. 24. v. 15. 16. cum in unica nocte Angelus in castris Assyriorum centum & octoginta quinque millia percuteret, 2. Reg. 19. v. 35. cum Angelum suum misisset, qui occluderet os leonum quo minus læderent Danielem. Dan. 6. v. 22. vel *Hominibus* iisque ut plurimum *Sanctis*, nimirum Prophetis, quot enim & quanta miracula fecit per Moſen, Eliam, Eliſam & alios? Apostolis, quibus donum miraculorum à Christo concessum Matth. 10. v. 1. Luc. 10. vers. 19. non magisterialiter, sed ministerialiter, Dominus enim cooperabatur, & sermonem eorum confirmabat per signa subsequencia Marc. 16. v. ult. Interdum etiam *Impiis*, utpote Thaumaturgis illis, qui in novissimo die dicturi sunt: *Domine, Domine, nonne per Nomen tuum Prophetavimus, & in Nomine tuo Damonia ejecimus, & per Nomen tuum multas virtutes edidimus?* Exemplo stat Judas, qui fecit miracula, accepit enim cum aliis Apostolis potestatem Matt. 10. v. 1. & cum aliis gloriatus est, quod *Dæmonia* sibi subjicerentur Luc. 10. v. 17. nihilominus fur erat & loliculos habebat Joh. 12. v. 6. Miraberis hoc? noli! si enim non repugnat per hæreticos & impios baptizare, & supernaturalem gratiam operari, cur repugnaret vera miracula edere? sunt verba B. Dn. D. Danhavv. Melet. p. 22. *Causam, si scire desideras, hanc habebis: ut nimirum sacra Doctrina, quam impij isti profitentur, per Miracula confirmetur, vel ut justo DEI judicio homines reprobj, qui veritatem audire noluerunt in errores præcipitentur, ut credant mendaciis.*

§. 5. Interim magna, & multa, imò plurima, à Patremendacij, Diabolo, ejusque satellitibus fieri Miracula, testis est Scriptura, clamat Experientia. Nota sunt prodigia Magorum Aegyptiacorum Exod. 7. & 8. quibus Moſi restiterunt: 2. Tim. 3. v. 8. commutarunt incantationibus suis virgas, in medium projectas, in serpentes, mutarunt aquam in sanguinem, produxerunt ranas ex aquis; Dominus ipse, pseudo prophetas prodigia & portenta edituros, testatur, Deut. 13. v. 1. imo de pseudo prophetis prædicit Salvator noster, quod tam multa & magna edituri sint signa atque prodigia ante novissimum diem, ut, si fieri posset, etiam Electi seducerentur Matt.

24. v. 24. Et de filio perditionis scriptum extat: *Adventum ejus fore secundum operationem Sathanae, in omni virtute & signis & prodigiis mendacibus* 2. Theff. 2. v. 9. Simon Magus, Hæreticorum Princeps, portentis suis dementavit multos in Samaria, adeo ut dicerent ipsum *Virtutem magnam DEI* Act. 8. v. 10. Ejus prodigiosa opera recensentur ab Egesippo lib. 1. c. 2. & Nicephoro lib. 2. c. 22. & 27. Effecisse inter alia dicitur, ut statuæ moverentur, & in ædibus vasa atque instrumenta domestica ad nutum ejus se sponte hinc inde transferrent, ipse flammis circumdatus non urebatur, ferebatur volans in aëre, in varias animantium species mutabatur, duplici facie indutus conspiciebatur, & in aurum sese totum transformabat &c. totus enim catalogus ab eo perpetratorum vel fictorum mirorum recenseri posset. Inter Ethnicos quæ mira à Sathana non fuerunt per acta? Plinius lib. 28. nat. hist. cap. 2. refert de Virgine quadam Vestali, cui Nomen erat Tucciæ, de cujus corruptione quæstio vertebatur, quod ad suæ pudicitiae testimonium aquam cribro hauserit; de Apollonio Thyanæo refert Philostratus in vita ejus, quod Puellam resuscitaverit. Plura qui desiderat, adeat Historicos. Hæc & similia Magistri fraudis ludibria & tamen in opinione hominum miracula fuisse, neminem inficias ire putamus.

§. 6. Sed de his jam est quæstio, *quid sentiendum, An vera fuerint Miracula? & an à Demone tanquam causa primaria profecta?* Hic distincte respondendum est, & quidem quoad quæstionem primam, An nimirum Miracula Diaboli fuerint vera? In vario respectu consideranda veniunt ista Miracula. *Quaedam enim fuisse vera, non negamus, utpote quæ fecit per Magos Ægyptiorum Jannem & Jambrem, quæ licet à Josepho lib. 2. Antiq. c. 5. pro præstigiis habeantur, quibus incantatores illi fascinaverint spectatorum oculos, ut baculi ipsis viderentur esse serpentes, malumus tamen cum Cyrillo l. 7. in Johan. c. 8. statuere, artificio & opera Diaboli factum esse, ut in locum projectarum virgarum modo invisibili serpentes aliunde allati substituerentur.* Et hoc eo magis, quod in textu expresse habetur, *Serpentes Magorum à serpente Aaronis esse devoratos.* Simile ju-

Le iudicium esto de commutatione aquæ in sanguinem, de productione ranarum ex aquis, in quibus Diabolus pro subtilitate sui sensus operatus est. *Quædam* deinde miraculorum Sathanæ proprie non sunt miracula, cum profus sint naturalia, ut enim in cæteris artibus atque scientiis excellit Dæmon, ita etiam in Physicâ, & nos latentes quamplurimas herbarum, lapidum, seminum, aliarumque naturalium rerum vires, exactissime novit, quam suam scientiam si ad praxin refert, nos mirari facit, quod tanquam miraculum mirandum non est. Ita sæpissime à veneficis ægroti curantur naturaliter, applicatione herbæ, quæ naturale in se habet antidotum contra morbum istum, & quia nos virtus herbæ latet, habemus pro miraculosa cura. In his ergo naturalibus (si sic loqui licet) miraculis, Diabolus proprie non est causa efficiens principalis rei productæ, sed potius Naturæ minister dicendus. Hinc Augustin. 4. lib. de Trin. c. 11. scribit: *facile est spiritibus nequissimis per ærea corpora facere multa, quæ mirentur anima terrenis corporibus aggravata etiam melioris effectus.* Porro etiam pro Miraculis habentur, quæ tamen meræ sunt præstigiatoricæ illusiones Diaboli, quo pertinet illud 1. Sam. 28. v. 14. seqq. quod Pythonissa Thesalicis suis carminibus Samuelem è sepulchro revocaverit. Hanc apparitionem merum fuisse Phantasma, pij veteres jam pridem docuerunt. In hunc ordinem quidam referunt prodigia, saltem quædam Simonis Magi, à quorum sententia non abhorremus. *Tandem* videntur quædam miracula, quæ re ipsa nihil sunt, cuiusmodi imposturis scatebat olim Papatu, ubi fingebantur statuæ loqui, ingemiscere, flere, sanguineum sudorem emittere, in quibus omnibus indefessa erat Monachorum opera, & superstitiosa hominum credulitas ingeniosos fecit Monachos, ad excogitanda ea, quorum fraudes cordatiores facile deprehendissent.

§. 7. De horum Autore jam quæritur: *An sit Diabolus?*

**Resp.** quod sic, hac tamen addita limitatione, quod non sit Autor, ut ita dicamus, absolutus, qui ex propria potestate vera Miracula edere, atque præstigiis mentibus oculisque hominum nebulam obducere possit, sed qui non nisi permittente

DEo agit, quicquid agit. Exemplum clarissimum habemus in Magis Aegyptiorum; permittebat ipsis DEus opera Diaboli producere serpentes, ranas, aquam commutare in sanguinem, sed ubi ad minutissima & abjectissima animalcula, pediculos nimirum ex pulvere producendos, deventum est, potentia ejus defecit, adeo ut ipsi Magi confiterentur: Digitus DEI hic est; nempe non tantum qui hoc Miraculum edidit, sed & qui nobis prohibuit similia facere. Elegans hac de refert judicium Augustinus lib. 3. de Trin. cap. 7. *Ut intelligatur, inquit, quicquid hactenus potuerunt, id non nisi data de super potestate potuisse.*

§. 8. Descendemus jam ab Efficiente ad *causam materiam*, atque *Materiam* Miraculorum ponderabimus; quæ est actus seu potius res in qua Miraculum effectum cernimus, talis autem res, quæ à Natura ad actum illum est inepta: v. g. virgam in serpentem mutari, mortuos resuscitari, ægrotos verbo curari, aquam in vinum mutari, aquas dividi, ut starent quasi murus à dextris atque sinistris. Inhabilis sane à Natura materia est virga ad serpentem, mortuus ad resurgendum, ægrotus ad curandum absque medicamentis solo verbo, aqua ad vinum & ad muros. Hinc Miraculum à nonnullis nova creatio audit, quia quasi nova species seu novum subjectum producit, uti videre est ex modo recensitis. Distinguendum autem est inter instrumenta, quibus Deus non raro in edendis Miraculis utitur, & Materiam, in qua Miracula fiunt; illa possunt abesse tanquam accidens, quibus DEus non utitur, nisi quando suæ Providentiæ placet, potest enim immediate agere, ut supra dictum; hæc minime potest abesse, requiritur enim res vera consistens atque solida, alias non esset Miraculum, sed mera præstigiæ, incantationes, & illusiones diabolicæ, ad seducendum oculos animosque hominum compositæ. Cum enim Diabolus non sit Creator, qui novam speciem producere possit, unam quoque in alteram mutare non potest, quod non minori virtute fieri statuimus.

§. 9. Progredimur ad tertium causarum genus, consideraturi Miraculorum *Formam*, quæ in eo consistit, ut sint contra, super, & præter ordinem atque facultatem universæ Naturæ.

turæ. Triplici modo hoc fieri potest; *Primo* : secundum se & quoad substantiam facti, ut si duo corpora sint simul in eodem loco, aut si sol retrocedat. *Secundo* non quidem secundum se, sed quoad subjectum in quo fiunt miracula, ut cum mortuus vita, & cæcus visu donatur: licet enim vita & visus secundum se naturalis ordinis sint, & alias per Naturam producantur, in mortuo tamen vitam, & in cæco visum producere, excedit vim atq; facultatem Naturæ. *Tertio* aliquid præter ordinem Naturæ fieri dicitur quoad modum faciendi, v. g. quando ægrotans in momento absque adhibitis remediis curatur, ut cum Petri focus per divinam virtutem in instanti à febris liberatur Matt. 8. v. 15. Paralyticus à paralyti solo verbo Matt. 9. v. 6. 7. Has tres miraculorum species Thomas de DE I quæst. 6. art. 2. resp. ad 3. brevioribus comprehendit, & dicit, has tres miraculorum species eo modo differre, quod prima sit eorum, quæ sunt contra Naturam, secunda eorum, quæ supra Naturam, tertia eorum, quæ præter Naturam. Sed magis subtilitatis quam utilitatis hæc distinctio videtur habere, propterea mittimus.

§. 10. Reperiuntur quidem adhuc varij modi, quos jam præteribimus, hanc modo distinctionem observantes, quod miracula dividuntur in privativa & positiva. *Prioris* generis sunt, cum rei actiones naturales ad tempus inhibentur, non interventu causarum physicarum, sed peculiari virtute DEI, causæ summæ & universalis, sic sol stat immotus Jos. 10. v. 13. regreditur per decem lineas in horologio Ahas Esa. 38. v. 8. obscuratur Christo patiente Matt. 27. vers. 45. ferrum narat 2. Reg. 6. v. 7. *Posterioris* generis sunt, cum res novis qualitatibus donantur, ut quando steriles pariunt Psalm 113. v. 9. quando morbi præter Naturæ cursum sanantur, adhibitæ interdum contrariis medicamentis, sic Esaiam Hiskiaæ ulcera impositione ficuum sanasse legimus 2. Reg. 20. v. 7. cui potius ficus adhibitæ nocerent, juxta multorum sententiam. Sic Elias super sacrificium undiquaque aquam effundere curavit, quæ à Natura igni est contraria, ut constaret divinitus illud inflammari 1. Reg. 18. v. 34. Elisæus sanavit aquas amaras immisso in scaturiginem sale 2. Reg. 2. v. 21. cum tamen sal amaritudinem inducat,

§. 11. Sed hic excipiat quis cum Cornæo: Actus Virtutum, Fidei, Spei, Charitatis & operationes sacramentorum esse supernaturales, ergo miracula? Quasi vero τὸ ὑπερφυσικὸν sufficeret ad constituendum miraculum, legisti in definitione nostra τὸ *supernaturalis*, ecurr non τὸ *arduus, rarus, &* reliquas affectiones formales, quas superflue nullo modo concedimus vid. D. Danh. Aleth. vind. p. 28. seq. Quia igitur τὸ *supernaturale* non est miraculi forma specifica, saltem non adæquata, ideo appositæ affectiones formales cum supernaturali sunt jungendæ. Requiritur 1. ut sit *rarum & insolitum*; non enim quotidie miracula fieri solebant, sed quando omnifapienti Providentiæ divinæ visum fuerat, quando gloria Ejus & status Ecclesiæ requisiverat. Sunt autem rara & insolita miracula non solum nostris temporibus, quibus miracula ferè exspiraverunt, uti infra patebit, sed etiam temporibus V. T. Christi & Apostolorum, quibus miracula maxime viguerant, Nam neque in V. T. quotidie fiebant miracula. Moses per desertum complura fecit miracula, adstante omnipotentia divina, ad conciliandam sibi autoritatem; ast cum ad terram promissionis ventum erat, cessarunt. Neque Christus miraculorum autor primarius, quamvis innumera fecerit miracula, semper & ubique potentiam suam manifestavit. Apostolos plura potuisse edere miracula, quam ediderunt, nemo dubitabit, sed noluerunt, quando Gloriam DEI & emolumentum Ecclesiæ non promotum iri credidere. Conjungas nunc τὸ *rarum* cum supernaturali, & videbis, an fides, spes, charitas & operationes Sacramentorum sint miracula, illa sunt ordinaria media salutis, cum verbo semper & indissolubili vinculo conjuncta, hæc non, ecce differentiam!

§. 12. Sequitur altera formalis affectio, quæ est 2. *improvocabilitas*. Fluit hæc affectio ex antecedenti; quod enim rarum & insolitum est, illud tanquam ordinarium peti non potest, nec debet, etiam eo tempore, quo plurima miracula fiunt, v. g. tempore Christi, nefas fuisset, si quis præter innumera, quæ patravit, miracula miraculum postulasset, propterea etiam, tanquam tentantes DEum, & Sathanæ indoles, repulsam



sam patiebantur Pharisei, signa petentes Matt. 12. v. 9. imo diabolicum est, signa petere, non urgente necessitate Matt. 4. v. 3. 6. At, inquis, nonne Gideon poposcit signum, cum à DEO ad liberandum populum Israeliticum vocaretur? Jud. 6. v. 36. seqq. Similiter Rex Hiskias, postquam nomine DEI à Propheta Jesaia recuperandæ pristinæ sanitatis certior factus esset, signum petere veritus non est 2. Reg. 20. v. 8. Sed Resp. hic plane diversam esse rationem; Aliud enim est, signum petere ex malitia, tentandi animo, sicut Pharisei, Aliud signum petere ex instinctu divino, quemadmodum Gideon & Hiskias, qui ex instinctu plane extraordinario atque divino signa poposcerant. Habemus simile exemplum Jes. 7. v. 11. ubi DEUS per Esaiam Regi Achazo mandavit, ut signum à Jehova peteret. Non ergo omnem signi petitionem illicitam esse, cernimus. Concludimus thesin verbis magni alicujus Theologi: *Tentatur Numen, inquit, quoties sine Numinis verbo fiducia in aliquid concipitur, aut petitur quod non est promissum.*

§. 13. Descendimus ad tertiam affectionem nimirum 3. *Veritatem*, eamque *solidam*, qua excluduntur ludificationes diabolicæ; Ubi enim veritas non colitur, si quæ fiunt miracula, non DEUS, sed Diabolus operatur, cujus proprium est mentiri & fallere, & per illusiones ac mendacia miseris hominum animas in exitium præcipitare. Distinguimus autem inter veritatem rei, & veritatem miraculi. Res potest esse vera, cum sæpe miraculum verum non sit; è contra, quando miraculum est verum, tunc res non potest esse falsa. Exemplo rem illustremus: in secundo modo miraculorum Diaboli, quæ per notitiam naturalium efficere solet, quorum supra mentionem fecimus, est quidem veritas rei, sed non miraculi, e. g. quando à veneficis adhibitis quibusdam herbis (quarum occultam vim Diabolus novit, Nos vero non) morbi curantur, res quidem est vera h. e. morbi vere curantur, & ægroti vere sanantur, sed cum à nobis pro miraculo habeatur, non tamen est verum miraculum, quoniam in natura causas habet. Sic si verum est, quod Plinius scribit lib. 37. Nat. hist. cap. 10. de lapide Asbesto, qui semel accensus extinguitur, nec consu-

matur, verum miraculum non est, quamvis res possit esse vera, quod in fano quodam Veneris lampas, quæ nunquam extinguebatur, luxisse semper, legitur, quanquam nec oleo, nec alia pingui materia aleretur. Ex his putamus distinctionem inter veritatem rei & miraculi esse claram.

§. 14. Pergimus ad quartam affectionem, nempe *Paradoxum*. Quando enim mens humana miraculum cernit, statim, tanquam curiosa in rebus indagandis, causas naturales & ordinarias inquirat, quas si non potest invenire, stupet. De miraculis vocem *παράδοξον* in ipsa Scriptura Sacra usurpata legimus Luc. 5. v. 26. in quo cap. habetur miraculum de sanato paralytico, qui velut exanime cadaver à quatuor portabatur, cujus morbus profus deploratus & desperatus judicabatur, hunc cum Scribæ, Pharisei, & totus populus à Christo subito sanatum vidissent, obstupuerunt, & *παράδοξα* se vidisse, dixerunt.

§. 15. Superest quinta formalis affectio, nempe *Evidentia inter Infideles*; Non enim miraculum est credibile quid, quod fide percipitur, cum potius ad confirmandum id, quod credendum est, fieri soleat, sed est sensibile, quod sensus externos incurrit, v. g. mortuum vivere, & vitales actiones exercere, caecum videre, & colores ac res dignoscere, rem olim amaram gustu dulcem esse percipere, leprosum carnem mundam, & à scabie ac vitiligine puram habere. Hic iterum observanda venit distinctio inter evidentiam miraculi ipsius, ejusque modi, & evidentiam effectus, hic est sensibilis & evidens, uti patet ex enumeratis exemplis, quamvis illud cum sua causa modoque non sit semper evidens. Ergo, inquis, miraculum tamen non est evidens? Resp. est utique evidens; Nam in ipso effectu miraculum continetur, e. g. quando video mortuum vivere, tunc ipsum miraculum in effectu video, licet causam modumque ignorem. Dicitur autem evidens inter *Infideles* (Fidelibus non seclusis) hi enim ad cognitionem credendorum sunt deducendi, cum igitur miracula (uti dictum) ad confirmanda credenda sint composita; necesse est, ut sint evidentia. Hinc facile apparet, quare

quare Christus partim immediate in statu exinanitionis, partim post Ascensionem per Apostolos tot & tanta miracula fecerit, hodie vero non: nimirum quia Doctrina de Messia præfenti à paucissimis credebatur, & Ethnici quoque neque futurum neque præsentem Messiam credentes in Mysteriis & Articulis Fidei erant erudiendi.

§. 16. Restat ut videamus miraculi *causam finalem seu Finem*, qui duplex est, ultimus seu remotus, alius, alius intermedius seu proximus. Ille citra controversiam est Gloria DEI, qui est  $\alpha$  &  $\omega$ , à quo omnia, & propter quem omnia, qui condidit mundum mirabiliter, & quæ in eo sunt propter se, & constituit Naturam, ut omnia ordine suo conserventur, is supra & præter Naturam potest agere, agitque propter se suamque gloriam. Hunc finem indicat Scriptura Sacra, quando primum Christi miraculum Joh. 2. v. 11. hoc eleganti epiphonemate claudit: ταύτην ἐποίησε πρῶ ἀρχὴν τῶν σημεῖων ὁ Ἰησοῦς ἐν Κανῶ τῆς Γαλιλαίας, καὶ ἐφάνερωσε πρῶ δόξαν αὐτοῦ: hoc edidit initium signorum JESU in CAVA Galilææ, & manifestavit gloriam suam, & c. 9. v. 3. interrogatus Salvator noster: An parentes à nativitate cæci, an cæcus ipse peccaverit? respondit: ἔτε ἔτ' ἤμαρτιν, ἔτε οἱ γονεῖς αὐτοῦ, ἀλλ' ἵνα φανερωθῆ τὰ ἔργα τῆ Θεοῦ ἐν αὐτῷ. Neq; hic peccavit, neq; parentes ejus (nimirum eo modo, quod propter singulare aliquod aut enorme scelus hunc cæcum nasci oportuerit) sed ut manifestentur opera DEI in illo. Manifestantur quippe in miraculis justitia, bonitas, potentia, veritas & alia DEI prædicata, quæ omnia gloriæ ejus inservire in propatulo est.

§. 17. Finis miraculorum *intermedius seu proximus*, non est curiositas, quasi miracula soleant ex intentione DEI fieri ad recreandos solum hominum animos, sicut Comædiæ & Tragædiæ; quò modo miracula à plurimis considerantur, ita quoque considerasse videntur Pharisei à Christo signum petentes Matt. 12. v. 9. viderunt magnum à Christo patratum miraculum, ejecto Dæmonio, & sine dubio non absque voluptate, quod nihilominus cavillati sunt, interim non verentur novum à Christo postulare signum, ut porro haberent, quo recrearent animos; hanc etiam ob causam Christus petito sa-

tisfacere denegavit. Non ergo ad curiositatem & delectationem hominum fiunt miracula, sed partim ad effringendam hominum infidelitatem atque malitiam, partim ad assertionem veræ fidei. 1. *ad effringendam hominum infidelitatem atque malitiam*, nisi Phæao contumacia callum obduxisset, DEUS plagis miraculosis non afflixisset ejus pertinaciam; quamdiu Judæi in deserto ordini divino insistebant, & in DEO confidebant, non opus erat miraculis, ast cum diffidentiam in eum conciperent, atque ipsum tentarent, an sibi posset instruere mensam in deserto? Exod. 16. v. 2. Pl. 78 v. 20. tunc pluvia Mannæ adpluebat, coturnices ferebantur circa castra. & petra salientium loco stabat. Obdurata atque ineluctabilis Populi Israëlitiçi sub Ahabo Idololatria, atque incredulitas, per preces Thisbitæ ignem de cælo, in testem hinc falsitatis, inde veritatis, evocabat 1. Reg. 18. v. 38. Ad evincendam eorundem in infidelitate contumaciam, Elias solus quadringentos & quinquaginta Bæalis Prophetas jugulavit; ibid. Omittimus exempla alia. 2. *Miracula fiunt ad assertionem veræ fidei*. Clarissimum quidem, verissimum, perfectissimum, atque sufficiens est Verbum DEI, cui credere debemus absque signis & miraculis, sed tam pravum est cor hominis, ut non credat facile verbo, ex Veritatis licet ipsius ore promananti, sine miraculis contestantibus: hinc miracula quasi buccinæ atque præcones facta erant, quibus verbum DEI commendabatur. Promulgationem Decalogi multa miracula antecesserunt, & concomitabantur; Christus Apostolos suos, ad prædicandum Evangelium in toto terrarum orbe ablegaturus, instruxit dono edendorum miraculorum, quibus doctrinæ Evangelicæ veritatem Gentilibus confirmarent Marc. 16. v. 17. similiter & septuaginta discipulos, ad prædicandum in judæam ablegatos, eodem dono instruxit. Matt. 10. v. 9. Luc. 10. v. 9.

§. 18. Hæc dicta sunt de definitione miraculi, ejusque causis atque affectionibus; quæ restant in quæstiones digermus. Sit igitur Quæst. 1. An adhuc hodie donum Miraculorum in Ecclesia vigeat? Dist. inter donum miraculorum ordinarium, quale à Christo Apostolis concessum, & extra-

extraordinarium. De hoc non est quæstio, an extraordina-  
 rie adhuc hodie interdum miracula fieri possint vel soleant;  
 sed hic est status controversiæ: *An ordinarie donum miraculorum  
 hodierna Ecclesia competat, sicut olim Apostolis in primitiva Ecclesia?* N.  
 Quando enim Christus Apostolos & septuaginta Discipulos  
 hoc dono instruxit, nequaquam generalem promissionem de-  
 dit, quod donum illud etiam post eorum tempora durare atq;  
 vigere debeat, sed erat specialis promissio, hos præcipuè respi-  
 ciens, post eorum tempora autem sensim sensimque expira-  
 vit, postquam Evangelium jam in toto mundo prædicatum  
 esset; quibusdam tantum personis in historia Eccles. legi-  
 mus istud donum concessum, ut de Gregorio Thaumaturgo,  
 ob hoc donum sic dicto, scribit Eusebius, quod virtute edendi  
 miracula fuerit instructus. Neq; tamen promiscue & in omni-  
 bus locis fiebant miracula, sed in iis præcipue, ubi adhuc Gen-  
 tes supererant incredulæ, ad christianam fidem religionemq;  
 invitandæ. Hinc dictus Eusebius lib. 5. hist. cap. 7. scribit,  
 non longe post Apostolorum tempora, etiam Irenæi tempore  
 non passim, sed in quibusdam tantum Ecclesiis, ea adhuc pa-  
 trata esse. Cum igitur post Apostolorum tempora hoc donum  
 expiraverit, quibus nondum tantus erat Christianorum nu-  
 merus, quanto minus hodie post tot secula miracula erunt ex-  
 pectanda, cum Christianorum numerus admodum per DEI  
 gratiam excreverit? Gregorius eleganti simili rem illustrat:  
 hom. 29. in Evang. *Miracula, inquit, necessaria fuere in exordio Ec-  
 clesie, ut multitudo ad fidem cresceret, quia & nos, cum arbuscula plantamus,  
 tan. diu eis aquam infundimus, quousq; ea in terra videmus coaluisse, & si  
 semel radicem fixerint, irrigatio, cessabit: Ut fide cresceret multitudo cre-  
 dentium, miraculis nutrienda fuit &c.* Qui igitur expectat miracu-  
 la huius temporibus, experietur miracula AntiChristi in templo  
 DEI sedentis 2. Thess. 2. v. 9. per quæ, si fidelis est, caveat sibi,  
 ne seducatur Matt. 24. v. 24. Concludimus nos quæstionem  
 verbis August. lib. 22. de Civit. DEI cap. 8. dicentis: *Quisquis  
 adhuc prodigia, ut credat, inquiri, magnum est ipse prodigium, qui  
 mundo credente, non credit.* Et Chrysost. hom. 23. in Joh. non  
 procul à princ. *Nonne & nunc quoq; signorum petitio tentantium*  
 est?

*est? sunt sane & hac nostra aetate (audinetate Chrysofomi) qui querant, quare & nunc signa non fiunt? si fidelis es, ut oportet, si Christum diligis, ut diligendus est, non indiges signis, signa enim incredulitas dantur.*

§. 19. Q. 2. An Miracula sint Nota Ecclesiae? Vulgata & ubique obvia est haec quaestio, propterea paucis absolvemus, quandoquidem in hac materia praecipua sit inter Nos & Pontiff. quaestio; quare nolimus silentio plane praeterire. Affirmativam Pontiff. tueri conantur, pro eaque tanquam pro aris & focis dimicant, adeo ut istam Ecclesiam, in qua nulla fieri solent miracula, pro haeretica, imo diabolica habere non erubescant; ita enim Maldonatus Com. in cap. 7. Matt. v. 22. *Itaq;, inquit, recte hinc probare possumus, Lutheranorum, & ceteras, eorum qui hodie regnant, haereticorum congregationes non veras Ecclesias, sed synagogas esse Sathanae, quia in nulla earum ullum unquam miraculum visum est.* Perinde Cardin. Baron. Tom. 1. Ann. ad an. Chr. 34. n. 213. *Miracula, inquit, sunt signa quaedam firmiter inhaerentia verae Christi Ecclesiae, quibus eadem ab haereticorum conventibus, Sathanae Synagogis, distinguitur.* Valerianus M. argumento à miraculis desumpto tantum tribuit, ut illud datum jugiter de Caelo dicat, adversus quod nulla altitudo intellectus, nulla humana potentia, nec portae inferorum prevalere possint. (forfan huic bono senium eorum robur non satis cognitum erat.) Sed quicquid sit, cavilletur ista gens, nostramque Ecclesiam pro Sathanae Synagoga calumniose traducat nihilominus Negativa à Nostratiis huc usque satis superque est defensa vid. è multis D. Gerh. LL. de Ecclesia pag. 477. seqq.

§. 20. Nos brevitatis studiosi paucis sententiam nostram confirmamus, & quidem 1. ex quaestione antecedente, ubi monstratum, quod donum miraculorum exspiraverit, quomodo igitur poterint esse nota Ecclesiae cum cessaverint? 2. contrahimus, quae ab Autoribus uberius deducta. in unum argumentum: O. Ecclesiae nota debet ejusdem esse propria, miracula non sunt Ecclesiae propria, E. miracula non sunt Ecclesiae nota. Major est manifesta, ab ipsis Adversariis concessa; Minor probatur, quia miracula non competunt omni Eccle-

Ecclesiæ, nec soli, nec semper, vid. Gerh. l. c. 3. Distingui-  
 mus inter Ecclesiam plantatam & plantandam, sermo est de illa,  
 non de hac, in qua non omnem vim miraculorum negamus,  
 quamvis ea non absolute necessaria statuamus. Tandem 4.  
 apponimus testimonia ipsorummet, Pontificiorum quorundã  
 quæ B. Lectori censenda relinquimus. Alphonfus Salmero,  
 non obscuri nominis Jesuita, Tom. 4. Comment. part. 1. Tract.  
 23. *Hanc edendi miracula facultatem, inquit, Apostolus & viris San-*  
*ctis initio nascentis Ecclesiæ communicavit Dominus, quæ, ubi promulga-*  
*tum est Evangelium toti orbi, vel remissa fuit, vel cessavit. Nec Eccle-*  
*sia nostra propterea infelicioꝝ censenda est, quam fuerit primitiva. &*  
*paulo post: Habet Ecclesia verbum DEI, simul & fructum, proferen-*  
*tem ac docentem Spiritum Sanctum & Sacramenta, in quibus omnia bo-*  
*na necessaria sita sunt: & propterea non opus habemus signis. Idem*  
 Part. 2. Tract. 13. scribit: *quod si interroges, cur hæc potestas (signa*  
*faciendi) Apostolus collata, in prædicatores & prælatos Ecclesiæ, qui vi-*  
*cem Apostolorum gerunt, non transferit? respondeo: DEUS eam non dat*  
*nisi pro necessitate vel utilitate magna Ecclesiæ, nun: vero ejusmodi po-*  
*testas vel fides miraculosa non est necessaria, neq; Ecclesiæ utilis. Nam*  
*cum signa ad confirmationem fidei fiant, atq; illa hodie sit confirmata*  
*& indubitata apud omnes, miracula non essent ad utilitatem, sed ad*  
*solam curiositatem. Deinde non solum non prodesse fidei, sed illam*  
*potius infirmarent: sicut cum quis habet aliquid in judicio idonee pro-*  
*batum, si rursus velit ideam probare, reddit negotium suum suspectum;*  
*quod sane prudenter non fieret. Pluribus hanc rem profequitur*  
 & Tom. 6. Tract. 3. *Possemus etiam aliorum Pontificiorum*  
 testimonia adducere, sed filum rumpimus, & B. Lectorem mit-  
 timus ad B. Gerh. Confess. Cath. l. 11. spec. part. 1. art. 5. cap. 4.  
 p. 1243. seqq. ubi plura inveniet.

§. 21. Q. 3. *Quid censendum de Miraculis Pontiff.*  
 Cum jactationis miraculorum in Papatu fere nullus sit finis,  
 non abs re erit, intimius ea considerare. Miracula papæa aut  
 sunt vera aut falsa. Videamus an sint vera & 1. quidem *Ve-*  
*teriora.* Si quæris papicolum: unde scis ista miracula vete-  
 riora (v. g. cubiculum B. Virginis Nazarethæ in agrum Lau-  
 retanam, ubi hodie ostenditur; per Angelos miraculose trans-  
 porta-

portatum esse) esse vera? referet autoritatem vel insulforum Monachorum, aut sacrificulorum, qui spe sive lucri sive superstitionis in rudi popello augendæ è mirabili suo cerebello tot miraculorum monstra confinxerunt; vel, si qui Viri docti fuerunt, ingenio ad idolomaniam papalem stabiliendam abusi sunt, falso persuasi, se gratum DEo officium facturos, si piis, ut vocant, fraudibus devotionem in simplici plebecula excitare, aut Ecclesiæ religionique suæ autoritatem conciliare studerent. Quidam, licet non à se conficta, talia tamen narrant miracula, quæ nunquam videre, sed ab aliis tantum audivere, quale est famosum supra narratum commentum de cubiculo B. Virginis, quod nititur autoritate Teremanni Parochi Lauretani, qui hanc historiam (fabulam potius) propria confessione ab aliis tantum accepit, qui num oculati testes fuerint, itidem incertum est. Obvia sunt ubique ejusdem farinae ficulnea Pontificiorum miracula, præcipue in legendis Sanctorum, quæ hic recensere temporis ratio prohibet. Unum aut alterum tantum proferamus: Joh. Capgravius in Legend. de S. Britann. in vita Dunstani narrat, Diabolum à Dunstano misere vapulasse, & Sanctum illum virum virgam in tergo Diaboli fregisse. Martinus Isengrinius refert de obsessa puella, quod cum Lauretana Litania de B. Virgine inchoaretur orari, Diabolus exclamarit: Ah Mulier, quid me calcas, & caput meum conteris! & cum eidem Diabolo loco satisfactionis injunctum esset, ut per os obsessæ aliquoties recitaret orationem Dom. & Angelicam salutationem, cum gemitu atque indignatione conquestum esse, ac dixisse: Videte, Johannes non vult invocare sanctos, cum tamen nos Diaboli vel inviti hoc cogamur facere. Plura qui considerat consulat libros 4. Dial. Gregorij; Spec. hist. Vincentij, Historiale Antonini Archi-Episcopi Florentini, & alios. Hæc igitur crassa nimis & propudiosa commenta ab his Autoribus in miraculorum Catalogum tam impudenter relata, cum ipsis emunctioris naris Pontificiis fidem suam dudum suspectam reddiderint (ita enim Melchior Canus Canariensis Episcopus lib. XI. LL. Theol. cap. 6. *Nostri pleriq;*, inquit, *in describendis Sanctorum vitis vel affectibus inserviunt,*



viunt, vel de industria quoq; ita multa confingunt, ut eorum me nimirum non solum pudeat, sed etiam tadeat. Certum est autem totam eorum narrationem inventam esse aut ad questum, aut ad errorem, quorum alterum factum est, alterum perniciosum: (ut plures taceamus.) Quare apud nos suspicionem movere non debent, nec jure exigere poterit, ut credat vir prudens talia absurda & pudenda, quorum fides ipsis sanioribus Pontiff. laborare videtur.

§. 22. Hæc de Veterioribus Pontiff. miraculis. Consideremus 2. recentiora. Notum est, miracula patrari potissimum propter errantes in fide, ut eorum vi ad veram fidei doctrinam amplectendam inducantur; cum igitur Pontiff. nos in fide statuunt errare, miraculis autem veritatem doctrinæ suæ stabilire conentur, æquum erit, ut specimen miraculorum suorum in conspectu nostro edant, sicut Christus & Apostoli coram omnibus miracula sua patrarunt, quod autem non solent facere, sed miracula sua edunt in tenebris, sunt opera lucem fugientia, & vix unus aut alter, nisi ex domesticis & confœderatis, testimonium perhibebit, quod evidenter & absque fuco verum ediderint miraculum. Excipiunt, & dicunt, propter infidelitatem vestram inter vos non possumus miracula facere, quemadmodum Christus in patria sua, sed abite in Japoniam, & videbitis miracula. Quasi vero isti Japonenses non essent infideles; & nonne Christus etiam inter Judæos infideles facit miracula? Vanum igitur est refugium ad exemplum Christi, qui noluit in patria sua patrare miracula propter nimis crassam & invincibilem incredulitatem conterraneorum, qualem Pontiff. nisi calumniari volupe erit, nobis non adscribent. Quamdiu igitur Pontiff. miracula sua in conspectu nostri non ediderint, tamdiu pro veris ea agnoscere non possumus. Ex his quid de miraculis Pontiff. judicandum sit, patebit.

§. 23. Q. 4. An Luthero miracula fuerint necessaria, & an miracula ediderit? Duplex hæc est quæstio, ergo in duas, ut distincte respondeatur, resolvenda est quæstiones. 1. An miracula Reformatori Luthero fuerint necessaria? Surre audivimus, miracula necessaria esse ad confirmationem

novæ alicujus doctrinæ; Lutherus autem non novam, sed vetustissimam, professus est doctrinam, restauravit nimirum antiquam Apostolorum doctrinam, eamque à fermento & mendis Pontificiarum traditionum purgavit, ergo non opus habuit miraculis. Imo si ponèremus, quod tamen non concedimus, Lutheri doctrinam fuisse novam, tamen ut ederet miracula non fuisset necessarium, quoniam novæ, saltem quoad circumstantias tali, doctrinæ non semper necessario annexum est donum miraculorum. Exemplum habemus Johannis Baptistæ, qui ne ullum quidem unquam patravit miraculum, licet digito Christum monstraret, diceretq; :hic est Agnus Dei tollens peccata mundi, ritumque Baptismi administraret. 2. Quæst. *An Lutherus miracula fecerit?* Bellarmini judicio Lutherus ne unam quidem muscam excitare potuit; frustra que Nefenum in Albi submersum in vitam revocare, & Diabolum ex obsessa puella expellere tentasse, refert Staphylus & Cochleæus, taceo alias fabulas atque calumnias, de B. Luthero sparsas, de tragico ipsius obitu, & de intolerabili fœtore ex ejus corpore exhalante post obitum, quarum priorem in vivis adhuc existens mascule confutavit Tom. 8. Jenens. Germ. fol. 206, posterioris mendacium ipsius fabulæ verba produunt. Quod autem suscitationem mortuorum, & ejectionem Diabolorum attinet, prius B. Lutherus nunquam tentavit, neque posterius, eo scilicet modo, quo Pontiff. certis ceremoniis, verbis, atque characteribus, ut scribitur in Coll. Mens. fol. 101. edit. Lips. & fol. 204. edit. Isleb. *Wir sollen jetzt nicht/und können auch nicht/Teuffel austreiben mit gewissen ceremonien und Worten/wie vorzeiten die Propheten/Christus/und die Apostel gethan. Betten sollen wir im Nahmen Christi/die Kirch mit Ernst vermahnen zum Gebett/das der liebe Gott und Vatter unsers lieben Herren Jesu Christi durch seine Barmherzigkeit den besessenen Menschen wolle erlösen / etc.* tentavit autem ejicere precibus, & vere ejecit. Testantur enim historiæ, ab obsesso juvene Diabolum ejecisse, & chirographum à quodam datum ad preces

ces Lutheri relatum esse. Autoritas allegata nos non movet, Staphylus Apostata fuit, Cochlæus juratissimus Lutheri hostis, inque notoriis mendaciis non semel deprehensus, quis ergo testibus hisce fidem habebit? Interim Lutherus plurima miracula fecit, quæ si à Pontificio quodam perpetrata fuissent, in Cælum usque extollerentur; Nonne enim opus reformationis magnum est miraculum? quod misellus Monachus contra dominatorem Mundi, anathematis fulmina vibrantem, doctrinæ reformationem & Anti-Christi revelationem tam feliciter confecit, imò quod à tot Regnis atque Provinciis doctrina Evangelica fuit recepta, inque sævissimis persecutionibus hactenus conservata. Lubentes præterimus miracula alia quamplurima, quæ ab Autoribus passim annotata sunt, ut: de veneno, quod sine damno concoxit, & quæ sunt ejusmodi plura.

§. 24. An Miracula Jesuitarum in Japonia perpetrata sint sufficiens argumentum veræ fidei? N.

§. 25. An Apostoli montes semoverint? Dist.

## SOLI DEO GLORIA.



**S**I quid mirandum, mirarer, sacra filere  
 bella, nec ut quondam Marte vel arte  
 geri;  
 Quid causæ? sterilis labor est, nec lauta re-  
 portat  
 dona, nisi dicas odia dona dari;  
 Mens, *Leonharthe*, tibi melior; Nam Sacra  
 Papistis  
 bella moves; referas præmia digna, pre-  
 cor.

Exercitij

Præses.

Præcellentij

Dn. M. Respondenti.

**Q**uid Romæ faciam, mentiri nescio?  
 quondam

\* Juvenal.  
Sat. 3.

*Sic dicebatur, \* cum virtus fraude periret.  
 Et quoq; sunt hodie mendacia gloria Roma,  
 Fallere fraude cupit jactans miracula multa,  
 Fraude superstructa est, cum sint miracula  
 nulla.*

Frau

---

*Fraude cadet, ceciditq, sua Babylonia fraude.  
Id Leonharde doce. Romanaq, detegevana  
quam sint, nec sancti coetus miracula fig-  
num.*

Amicit. ergo  
f.

**M. Joh. Joachim Zentgraff/**  
Ecclef. Neopetr. & Wilh. Pæd.

---

Gloria Miraculorum

**Pontificiis**

Magnificentius jactata quam verius.

**P**Rorsus digna suis est demonstratio nugis  
dogmata prodigiis prodigiosa pro-  
bans.

Nam monstrosa fides signorum monstra  
requirit

Ut penetret focco qua nequit ire pede.

Amico Amicus  
gratulabundus

p.

R. L. M. G.

M. Io-

M. Joannes Fridericus Leonhardus.

*Per Anagramma.*

Miracula defendis, res unis, honor!

**D**Um Leonharde boni docto *MIRACU-*  
*LA* *fove*  
*DEFENDIS* genio: Sic Tibi surget *HO-*  
*NOR!*  
*RES UNIS* dubias; Nunc Nomen &  
*Omen* habebis,  
*Ut Leonhardus eras, sic Leo & Artis*  
*eris!*

*Paucula hæc Amoris*  
*ergofecit*

*Joh. Mich. Bosch,*  
*J. Stud.*











